Marbio 20 · (130)

In nomine domini Amen. Anno a nativitate eiusdem Millesimotrecentesimoseptuagesimooctavo. Indictione secunda die martis vigesimoprimo
mensis septembris. Reverendus vir dominus dompnus Paganus de Platis dei et apostolice sedis gratia Abbas monasterii sancti Victoris ad corpus Mediolani
suo nomine et sindicario et sindicatorio nomine monachorum capituli et conventus ipsius monasterii ad hec et alia constitutus ut dixit constare instrumento
sindicatus tradito et rogato per Ugozinum Balbum notarium Mediolani investivit nomine locationis et ficti ad benefaciendum meliorandum et non peiorandum
Beltraminum dictum Martinum et Ambrosium fratres de Curte filios quondam Andrioli habitantes in cassina de Litorzeta parochie sancti Martini ad corpus porte
Vercelline foris et utrumque eorum in solidum presentes et conducentes de petia una campi iacente extra portam Vercellinam Mediolani extra et prope rezeffum
ubi dicitur in Brandi cui coheret a mane suprascripti monasterii et tenetur per Maffiolinum de Vizano et per Ambrosolinum de Parazoris a meridie dicti monasterii et tenetur
per Ardighinum de Serono a sero accessium suprascripti dicti monasterii et tenetur per Ambrosinum et Paulinum de Sancto Petro a monte strata et est pertice triginta due vel
circa. Eo tenore quod a festo sancti Laurentii proxime preterito ad annos novem proxime futuros et deinde in antea donec utrique parti placuerit predicti
Beltraminus et Ambrosius conductores nomine locationis et ficti habeant teneant gaudeant usufructuent et possideant ipsam petiam campi dando et solvendo dicti
conductores dicto domino Abbati locatori suo et dictis nominibus fictum pro ipsa petia campi omni anno durante hac locatione ad computum quartarii quartariorum novem frumenti
boni pulcri sicci et neti pro qualibet pertica solvendum in quolibet festo sancti Laurentii consignatum in dicto monasterio vel in civitate Mediolani ubi placuerit dicto locatori ipsi locatori
solvendi periculum. Hoc autem acto dicto et pacto inter eas partes per speciale pactum apposito quod si dicti conductores cessaverint in solutione dicti ficti per mensem unum
post aliquem predictum festum sancti Laurentii alicuius anni quod cadunt et eo casu advenien cecidisse intelligantur ab hac investitura et a iure huius investiture
et ab omnibus et singulis melioramentis et iuribus que ipsi conductores haberent et fieri fecissent in ipsa et super ipsa petia campi si placuerit ipsi domino
Abbati suo et dicto nomine et nichillominus teneantur illi conductores ad solutionem dicti ficti temporis tunc preteriti. Quare predicti fratres conductores et utrique
eorum in solidum Ita quod utrique eorum in solidum teneatur et cum effectu conveniri possit de toto et primo loco. Renuntiantes illi nove constitutioni qua cavetur quod nemo
ex reis conveniatur in solidum si alter eorum sit presens et solvendo et epistule divi Adriani et cuilibet iuri et auxilio quibus se tueri vel iuvari possent
promiserunt obligando sese et omnia sua bona tam presentia quam futura pignori et specialiter omnia illa bona que non cadunt in generali obligatione suprascripto domino Abbati
locatori presenti stipulanti et recipienti suo et dictis nominibus videlicet quod illi conductores dabunt et solvent dicto locatori suo et dictis nominibus predictum frumentum dicti ficti
omni anno ad ipsum terminum videlicet et cum quanto pluri illud frumentum valuerit et valebit preterito ipso termino et quod finito termino huius locationis tradent et
expedient illi conductores dicto locatori vachuam et expeditam possessionem et tenutam predicte petie campi suprascriptis locate Cum omnibus expensis dampnis et
interesse que fierent aut paterentur pro predictis omnibus petendis et exigendis vel ab alio recuperandis. Renuntiantes ipse partes dictis modis et nominibus exceptioni
non facti huius instrumenti investiture et predictorum et infrascriptorum omnium non ita actorum et factorum et omni probationi et deffensioni in contrarium. Que omnia fecere
suprascripti fratres conductores et utrique eorum in solidum Ita quod si aliquo tempore agatur vel agi contingerit pro predictis vel aliquo predictorum quod possint ad predicta omnia et singula omni
tempore conveniri. Renuntiando cautis collocatis et collocandis feriis ordinariis solempnibus et repentinis et cuilibet iudicio causarum et quod pro predictis vel aliquo
predictorum dicere non possint insolutum cartas nec notas debiti communis Mediolani factas vel faciendas nec aliquid aliud quam pecuniam numeratam. Renuntiando omnibus
statutis consiliis et ordinamentis communis Mediolani factis vel faciendis per commune Mediolani vel per aliam universitatem seu singularem personam Inde vigentem volentem et statuto
pactorum et beneficio cuiuscumque. Et constituerunt suprascripti fratres conductores et utrique eorum in solidum se se tenere et possidere omnia sua bona mobilia et immobilia
et iura precario suprascripto domino Abbati locatori suo et dicto nomine recipienti et eius nomine Ita quod ei suo et dicto nomine liceat sua auctoritate propria et sine fori et banno
vel nuntio alieno precepto aliquo robare capere sequestrari et in possessionem intrare tenere possidere vendere et alienare et insolutum sibi accipere et
retinere de bonis rebus et iuribus suprascriptorum fratrum conductorum et utriusque eorum in solidum usque ad plenam et completam solutionem et satisfactionem omnium predictorum
et totius eius unde creditor extiterit pro predictis renuntiando omni actioni probationi et deffensioni in contrarium quibus omnibus et singulis extra [illegible]
et pacto speciali renunciaverunt. Actum in dicto monasterio sito in porta Vercellina Mediolani in parochia sancti Martini ad corpus foris. Coram Petrollo
de Rosoriago filio quondam Curte habitante in dicto monasterio et Beltramolo de Gerenzano filio quondam Guidoti porte Vercelline parochie sancti Nicolay fratribus notariis.
Interfuerunt ibi testes Laurentius Parazonus filius quondam Lafranci notarius presbiter Ambrosius de Gulasecha beneficialis ecclesie sancti Martini ad corpus et
[illegible] filius quondam Johannis ambo porte Vercelline foris parochie sancti Martini ad corpus noti et Martinus de Sorazio filius quondam Zanini porte Cumane parochie
sancti Carpofori et Niger Citta filius quondam domini Johannis porte Vercelline parochie sancti Martini ad corpus foris omnes cives Mediolani vocati rogati et producti.

Ego Angirolus filius quondam domini Symoli de Carsil civitatis Mediolani porte Vercelline parochie sancte Marie ad Pedem notarius rogatus tradidi et scripsi.

Ego suprascriptus Beltramolus de Gerenzano notarius publicus pro notario interfui et de mandato suprascripti notarii scripsi.

8

1378 21/IX Mediolanum

1374

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Marbio 20 (130)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853664286-19